

Quid tibi non grater? quid te mea Musa filebit?  
Quem patriæ vinculum, quem mihi iunxit amor.  
Est regio Europæ fama celeberrima in oris,  
Cui gens Boiorum nomen habere dedit.  
Clauditur Hercynijs circum sua limina syluis,  
Et patet in ternos illius ora dies.  
Terra ferax almæ Cereris, laticisq; Lyæi,  
Et crescunt imis fulua metalla iugis.  
Poma ferunt horti, fundunt vberima campi  
Pascua, sublimi robora monte virent.  
Spumiferi raucis voluuntur flexibus amnes,  
Et passim multo pisce natantur aque.  
Nec non per latos errant animalia campos  
Syluaq; montiuagas continet ampua feras.  
Prouenit hinc etiam laudati copia zithi,  
Copia quæ multis gentibus apta placet.  
Hæc regio tenues produxit vtrumq; sub auras,  
Ambobusq; vnum nomen habere dedit.  
Præterea tantos tibi letus grator honores,  
Paule sodalitiij gloria magna mei.  
Nam cum prima mihi tecum coniunctio facta est,  
Fædere amicitie mox mihi iunctus eras.  
Non equidem tali quo gaudent tempora nostra,  
Tempora quæ Stygia fraude sepulta iacent.  
Dum pater Heliadum radijs illuminat orbem,  
Agmine amicorum mox quoq; cinctus eris.  
At cum Sol picea tegitur caligine vultum,  
Diffugiunt comites, queis modò septus eras.

Noticia